



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 96. De salto martyrio ethnicorum, hæreticorum, & schismaticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

naturale, sic voluntas acceptans martyriū debet esse supernaturalis: & quia voluntas supernaturalis non potest elici, nisi ex auxilio gratiæ, ideo voluntas acceptans martyrium debet elici ex auxilio gratiæ, vt docet August. Hom. 14. ex 50. & in Plal. 118. concione 23. & in cap. 39. 10b. Id ipsum docet Lucifer Calaritanus lib. *Quod moriendum sit pro filio Dei*, vbi etiam docet, quod Deus in martyribus pugnat, & vincit, adiuuando nimirum illos auxilijs gratiæ. Quod Christus cum Martyribus pugnet, ac vincat, docet etiam Tertullianus lib. ad martyres, c. 7. Nyssenus Orat. de S. Stephano, August. serm. 49. de Sanctis, alijque communiter.

7. Quæritur quarto, vtrum martyrium possit cadere sub vllum meritum?

Respondeo, quod Chryzologus serm. 152. docet martyrium non posse cadere sub vllum meritum. E conuerso S. Cyprianus lib. de laude martyrij sub finem, docet martyrium aliquando dari in præmium meriti antecedentis. Conciliantur, dicendo, quod martyrium, cum sit donum supernaturale, non potest cadere sub vllum meritum naturale, & præterea non potest cadere sub vllum meritum supernaturale de condigno, cui debeatur ex lege infallibili, vt patet ex eo, quia viris sanctissimis, puta Francisco, Romualdo, Xaerico, fuit negatum, at aliquando datur in præmium alicuius meriti merentis illud de congruo, vt patet exemplo multorum, qui sancte viuentes ad martyrij coronam meruerunt peruenire, vt colligitur ex Eucherio in principio Homilij de S. Romano, ex August. serm. 32. de Sanctis, ex Petro Damiano sermone de SS. Donato, & Hilario, & alijs.

8. Quæritur quinto, cuius virtutis actus sit martyrium?

Respondeo, quod Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 2. quem sequitur Caietanus in Comm. Turrecremata in quæstionibus euangelicis ad festum S. Laurentij, quæst. 2. & Richardus in 3. dist. 33. art. 4. qu. 6. docent martyrium esse actum elicitum à fortitudine, & imperatum à charitate. Ratio est, quia martyrium, cum sit actus, quo quis tolerat maximum terribilium, hoc est mortem in quodam bello cum persecutore, ne relinquat bonum rationis, per se est actus elicitus illius virtutis, ad quam spectat tolerare ipsam mortem, ne relinquat bonum rationis propter specialem honestatem talis tolerantia; sed tolerare mortem hoc pacto spectat ad fortitudinem; ergo martyrium per se est actus elicitus fortitudinis; sed actus præstantissimus fortitudinis solet imperari à charitate, de qua scriptum est, *Fortis est vt mors dilectio*; ergo martyrium cum sit actus præstantissimus fortitudinis, solet imperari à charitate. Adde, quod charitas non solum potest imperare, sed etiam elicere actum, quo quis acceptet mortem pro Christo. Charitatis enim propriissimum est, vt ex amore summæ bonitatis diuinæ contemnat omnia bona temporalia, etiam

ipsam vitam. Potest etiam quis acceptare mortem ex motiuo religionis, quia mors pro Christo est quidam cultus Dei, & etiam ex motiuo aliarum virtutum, licet acceptatio martyrij præcipue tribuatur fortitudini, & charitati ex rationibus allatis. Ex Patribus martyrium præcipue tribuit fortitudini S. Cyprianus initio libri de laude martyrij: Charitati autem S. Augustinus Lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 22.

QVÆSTIO XCVI.

De falso martyrio ethnicorum, hæreticorum, & schismaticorum.

1. **Q**uandoquidem ex dictis ad martyrium requiritur, vt mors acceptetur ex motiuo supernaturali proposito per fidem, ethnici autem carent fide, ideo si aliquis ethnicus moriatur pro aliqua veritate cognita per lumen rationis, eo pacto, quo vt tradit S. Iulianus, & alij, Socrates passus est mortem, quia docuit dari vnicum Deum, non est verè martyr. Rursus aliqui ethnicorum, qui, vt scribit Athanasius in epistola ad vitam solitariam agentes, passi, ac etiam cæsi sunt, quia ex quadam charitate naturali subuenerunt Christianis, dum à persecutoribus vexabantur, non fuerunt verè martyres.

2. Ex proportionali ratione hæretici, si mortem patiuntur pro suis falsis sectis, imò pro aliquibus veris dogmatibus, puta si Calvinista occidatur ab Arriano, quia confitetur Filium esse consubstantialem Patri, non est martyr, quia non moritur pro veritate, quam credat fide vera, & supernaturali, cum hæreticus careat fide supernaturali. Porro quod hæretici, si permaneant in sua hæresi, non possint esse martyres, docent expressè Augustinus lib. de Patientia, cap. 26. in concione de gestis cum Emerito, serm. 117. cap. 4. & alibi. Idem constanter docent Irenæus lib. 4. cap. 64. S. Cypr. epist. 52. num. 49. & Epist. 57. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 39. S. Gregorius lib. 18. Moralium, cap. 14. alijque communiter.

3. S. Augustinus lib. de patientia, cap. 17. quærit, vtrum patientia hæretici morientis pro articulo ad fidem materialiter spectante, sit donum Dei, & ex gratia, an potius ex viribus naturæ, & respondet, quod est ex auxilio gratiæ, quamuis quia non conducit ad salutem, dicat esse vnum ex muneribus, *quod filijs concubinarum donatur à patre Abraham, ne relinquereunt omnino inanes, non vt tenerentur hæredes*. Adde posse hæreticum ex viribus naturæ, & ex motiuo naturali, puta vanæ gloriæ, pati mortem, & cruciatus pro doctrina falsa, & hæretica, vt patet experientia plurium hæreticorum. Hinc infert Michael Medina lib. 5. cap. 6. quod pati mortem, & cruciatus pro aliqua doctrina, non est certum argumentum, quod talis doctrina fuerit diuinitus reuelata.

Cum hoc tamen fiat esse certum argumen-
tum veritatis fidei Catholicæ, quod tot millio-
nes hominum vtriusque sexus, & cuiuslibet
ætatis pro ea fuerint passi, præsertim acci-
dentibus miraculis, & alijs signis credibilita-
tis. Efficaciam argumenti deducti ex patien-
tiâ martyrum asserit Athanasius Lib. de In-
carnatione, Tertull. in Apolog. & lib. ad Sea-
pulam, propè finem; Iustinus Apol. 1. propè
finem, Hieronymus quæst. 11. ad Hedibiam,
& plures alij Patres.

4. Ex eadem ratione, ex qua ex martyrum
serie excluduntur hæretici, excluduntur etiã
Schismatici, quamvis moriantur pro articulo
verò. Docet hoc Augustinus lib. 1. de sermo-
ne in monte, cap. 9. vbi cum dixisset hæreti-
cum occidi posse, Martyrem esse non posse,
subdit. *Neque Schismatici aliquid sibi ex hac mer-
cede promittant, quia similiter, vbi charitas non est,
non potest esse iustitia, quam si haberent, non dilania-
rent corpus Christi, quod est ecclesia.* Probat hoc
Optatus Mileuitanus ex Apost. 2. ad Corinth.
13. dicente. *Si tradidero corpus meum flammis,
ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil
mibi prodest;* atque hinc idem Optatus irridet
Donatistas, qui in suo schismate martyria
iactabant. Idem dicit Cyprianus lib. de vni-
tate Ecclesiæ, & alibi.

QVÆSTIO XCVII.

*Quo pacto ad martyrium requiratur, ut mar-
tyr non repugnet, ut obseruet præcepta, &
ut non prouocet infideles ad mortem
sibi inferendam.*

1. **Q**uæritur primo, vtrum ad proprium
martyrium requiratur, ut martyr
non repugnet, & patienter mortem acceptet?
Respondeo affirmatiuè. Probatur primo:
nam si hoc non requireretur, sequeretur,
quod milites præsertim cruce signati, qui
pro fide contra infideles pugnantes occum-
bunt, propè essent martyres; sed hoc est
falsum, & contra sensum ecclesiæ; ergo.
Probatur minor. Vt enim Zonaras tom. 3.
Curopalatus, & Glycas, ex iisque Baronius
anno 954. narrant, cum Nicephorus Imperator
Constantinopolitanus legem tulisset, vt
milites in bello iusto contra infideles cæsi,
martyres haberentur, Polyectus Constanti-
nopolitanus patriarcha, alijque græci antisti-
tes illi sunt obliuati. Addit Baronius idem
irrito euentu tentasse anno 620. Phocam
Mauritij successorem.

2. Probatur secundo. Vt enim aduertit
Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap.
39. Zach. 9. Martyres vocantur oues; sed
vt idem notat, nemo oues appellat eos; qui
in bello armati, & ipsi eadem teritate certan-
tes, cadunt, sed qui in sua patientia dedentes po-
tius semetipsos, quam vindicantes, trucidantur: er-
go. Ex eadem ratione psalmo 43. martyres

vocantur *oues occisionis*, quia vt oues sine vlla
resistentia ducuntur ad lanienam, & mortem
exemplo Christi, qui vt dicitur Iesai. 53. *Non
ouis coram rondente se obmutuit.* Ita milites theba-
ni, quamuis propter multitudinem, & belli-
cam peritiam potuissent resistere, ac non im-
biti perire, tamen vt coronam proprii martyrii
consequerentur, arma abiecerunt, & vt oues
maçtati sunt. Plures igitur scriptores docen-
tes milites, qui pro fide pugnantes occube-
runt, fuisse martyres, locuti sunt de martyri-
minus proprio, ac non habente prærogatiua
martyrii stricti, quarum præcipua sunt, quod
conferat gratiam maiorem merito operan-
tis, ac remittat omnia peccata quæ ad culpam,
& pœnam, vt explicabitur quæst. 98. num. 1.
Ideò pro militibus in bello contra infideles
cæsis est orandum, pro proprijs martyribus
non est orandum, siquidem iniuriam fieri
martyri, qui orat pro martyre, vt dicit Au-
gustinus.

3. Quæritur secundo, vtrum si infidelis
in odium fidei christianum aggrediatur, vt
eum occidat, christianus debeat resistere, ac
se defendere?

Respondeo, quod per se debet resistere,
ac se defendere cum moderamine inculpate
tutelæ. Ratio est, quia ex præcepto naturali
vnusquisque debet vitam suam defendere,
cum est spes moralis mortem euadendi, er-
go. At cum est moralis necessitas mortendi,
qualis aderat militibus thebanis, tunc non
est repugnandum, sed martyrium patienter
pro fide acceptandum.

4. Quæritur tertio, vtrum imminente mar-
tyrio, Christianus debeat se ad mortem præ-
parare per obseruantiam præceptorum affir-
matiuorum, quæ tunc urgent?

Respondeo affirmatiuè. Sicut enim qui
recipit sacramentum, non debet ponere obie-
ctum gratiæ, sic qui tolerat mortem pro Chris-
to, non debet ponere obiectum gratiæ, adeo-
que debet obseruare omnia præcepta, & si non
obseruet, non est martyr. Ideò Catechumeni
instante martyrio, debent baptizari, si possunt
sunt; qui sunt in peccato mortali, tenentur
confiteri, ac si confiteri non possunt, tenentur
præmittere actum perfectæ contritionis;
schismatici tenentur redire ad ecclesiam;
hæretici tenentur relinquere suam hæresim,
& amplecti fidem catholicam; qui possident
alienum, tenentur restituere; qui gerunt ini-
micitias, tenentur reconciliari cum inimicis
&c. Ideò martyres Nicomedienfes edicto
Maximiani in templo, in quo conuenerant,
comburendi, licet baptismus sanguinis imple-
ret, statim catecumenos baptizarunt bap-
tismo aquæ, vt eorum, acta testantur apud Baro-
nium tom. 2. Quod christiani, instante mar-
tyrio, teneantur obseruare præcepta, fatentur
communiter Patres. Chrysostomus Hom. 5. de
in Matth. hanc obligationem colligit ex illis
Christi verbis Matth. 8. *Tollat crucem suam,
& sequatur me, dicens: Id enim est rectè Do-*